



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Duæ mortalium conditiones.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

## PROPHEANUM. CAP. I.

*Ανομι-  
ασι  
1706, ci-  
tatur à Plu-  
tarch. in  
Sympos. de-  
cimo 7. c. 4.  
Et Adag.  
xviii. p. cent.  
1. prob. 74.*

Propheanum in primis atq; abominabile per piscem apud Ægyptios Sacerdotes significari proditum, quem & pollutum aiebant, & à mensis suis amovebant, in eo scilicet piscium genus damnant, quod hi plurimum alter alteri grassatur cibi causa: præterea quod nullius sit nutrimenti, tantumquam facile computrescat, ut cum minime afferari possit, proverbium in foriddos emanat, *Pisces* repositus, ut apud Plautum dicitur vulgatum, *piscis nequam nisi recens*. Quin etiam constat Athiopus illos qui sola piscium alimonia victarunt, brevioris omnino vitæ quam nos esse. Denique ut in Phædone est apud Platonem, nihil nasci in mari Jove dignum existimabant. Sane Zoroaster unicum Magis, inter animalia, quæ bonis malisq; genis obnoxia sint, discrimen posuere, ut bonis delicata opinentur, velut Canes, & volatilia, & Testudines terrestres: malis vero, aquatica omnia, eumque beatum putant evasurum qui plura enecet.

## DUÆ MORTALIUM CONDITIONES. CAP. II.

*Pinnatorii  
& Squamosorum  
piscium his  
rogyphica.*

Illud ad hanc usq; diem à Judæis magna religione servari manifestum, ut ex Mosaica legis præcepto piscem non attingant, nisi qui pinnatus sit & squamosus lubricos vero lævesq; omnes avertentur, id quod ita interpretatur Adamantius, ut per aquas, mare vitæ hujus intelligat, in coelis futuris mortales assidue volutamur: in hoc mari nostro pisces, qui pinnulis juvantur, & squamis muniantur, ad superiora facile sustoluntur, & aëri hinc viciniore sunt: veluti qui libertatem spiritus quarant. Talis est ergo sanctioris vitæ vir quisque, qui intra retia fidei conclusus bonus piscis ab Assertore nostro nominatur, & in vas conservationis immittitur. Squamosis vero quorsum perbos intelligit idem author homines qui parati sint vetera indumenta deponere, novumq; hominem induere, & ut Gregorius Nazianzenus diceret, *ἐγκαταίξω*. Latini Græcam secuti locutionem, *Encantare* dixerunt, ut ita omni mentis duritia deposita, animum Deo tractabiliorem efferamus. Qui vero neq; pinna, neq; squamas habent, in imis semper versantur vadis, & in cæno plurimum volutantur, veluti sunt Anguilla, Rhombi, & hujusmodi reliqua, quæ nequeunt ad aquæ summitatem ascendere, ad superiora quippe pervenire: atque in luto, hoc est, turpitudini & vitii inhæsitantes ad vitales auras superioremq; spiritum attolli nequeunt: adeo carne turgidi & undecunque completi, confertiq; sunt, ut neque deponere facile quicquam possint, neque se attollere, aut ab eis qui affixi sunt face sublevare. hoc ita terrestrium affectu gravati, ut nullam cælestium curam suscipiant, crapula tantum, libidinibus, cupiditatibusq; suis implicati: quibus quidem voraginibus hausti, simulatque ceciderint, nihil quicquam conantur emergere, sed ita recumbentes, in eodem quo hæserint luto volutari delectantur. Eodem involvuntur cæno Philosophi, qui naturæ tantum principis insistent, ad naturæ vero ipsius authorem, cuius Spiritus super aquas fertur, numquam attolluntur. Eodem implicantur Jurisconsulti, qui leges non justitiæ studio, sed lucri tantum cupiditate profectentur. Eodem volutantur sacerdotes, qui cæremonias oretenus prosequuntur: quid vero per cæremonias intelligi fieri debeat aspernantur. Quin etiam Oratores, neque non Poetæ, qui faciendi tantum ubertatem, affluentissimosque verborum fluctus, ingentemq; vocum strepitum, canorasq; nugas admirantur: quæ vero ad integræ vitæ institutionem faciunt, nihili pendunt, una cum superioribus in imo hujusmodi fundo, quippe ubi lividissima maximeque est profunda vorago finipini detinentur. Atque hoc est illud profanum, quod vetus illa pietas tantopere averfabatur. Genes tamen aliquas inveniunt (ut alienigenarum quoque instituta conquiramus) quibus pisces sacrificare mos fuerit: veluti Ærotii faciebant, qui selectiores quasdam Anguillas ex eo genere quæ Capaides appellantur, præcipuæ commendationis in Eubœa, Diis immolare consueverant. Passim vero piscatores Neptuno Thunnum, qui maximus esset, sacrificabant spe capturæ. Et Phaselitæ Lyciæ populi salsamenta Cylabræ cuidam heroi offerebant, ejus condituræ pisces ita puros arbitrati, ut deos etiam alios pisciculis hujusmodi sale conditis placari opinarentur: Sunt vero qui apud eos id ea de causa institutum scribant: quia regio illa ab origine prima salsamenti ex pisce factis empti fuerit.

*Piscium sacrificium.*